

693. III, 5-12 — Carta de Lourenço Prioli, duque de Veneza, a D. João III, noticiando-lhe a sua eleição. Veneza, 1556, Junho, 20. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo.*

Serenissimo et excellentissimo Domino Joanni Dei gratia regi Portugaliae et Algarbiorum citra et ultra mare in Aphrica dominoque Guineae et conquestae navigationis ac comercij Ethiopiae Arabiae Persiae et Indiae. Illustrissimo Laurentius Priolus eadem gratia dux venetiarum etc salutem et prosperorum successuum incrementa.

Quamvis delatus nobis a patribus divino ita afflante numine Venetae reipublicae principatus cui serenissimus praedecessor noster Franciscus Venerio nuper vita functus sua cum laude praefuit tam ob summi honoris dignitatem quam ob publici hujusmodi oneris magnitudinem nostris sit impar viribus volumus tamen hanc libenter provinciam suscipere non ut satis votis nostris faceremus sed ut potius senatus voluntati morem gerentes ejus jussis pareremus. Cumque bonae menti semper occurrat Deus optimus maximus ejus iccirco ope freti omnem operam et curam enixe adhibebimus ut non modo de carissima nobis patria sed de omnibus benemereri (quantum in nobis fuerit) possimus.

De his Majestatem Vestram pro singulari nostra in eam observantia

certiorem faciendam duximus Deum precantes ut ipsam diu felicem atque incolumem servet.

Datae in nostro ducali palatio die xx Junij indictione xiiij. M.D.Lvj.

*(B. R.)*